

ad quos visum est referri¹⁾, si quid questionis inter filios Israel oriretur²⁾, stat hodie zelus et auctoritas apostolice dignitatis, miserabilem questionem, immo conquestionem casus inter nos hactenus inauditi vobis³⁾ vindicandum Siquidem inter cetera malicie temporis flagella et pressuras⁴⁾ ecclesie, quibus affligimur incessanter, accidit his diebus, quod venerabilis frater noster, Belvacensis episcopus, cum se murum pro domo Domini opponeret, ut consitas⁵⁾ sibi plebes ab hostili defensaret incursu, Brabantiones et coterelli ceterique sanguinum viri, rapinis et incendio Belvacensis ecclesie terram depopulantes, in ipsum paucis comitatum, impugnationis arma non gestantem, nec aliis nocentem⁶⁾, sed ne suis noceretur attentum, irreverenter irruerunt, et captivum regi Anglie tradiderunt carcerandum. Qui pessumdata pontificalis reverentia dignitatis, tam duro carceri, tam districtis eum vinculis mancipavit, ut nec aeris beneficio nec amicorum colloquio permetteret ejus angustias relevari; quinimmo malicie sue ministris ita eum insuper tradidit ad torquendum, ut hujus comparatione captionis gentilium etiam ergastula misericordie videantur beneficio temperata. Pro quo, immo pro totius cleri honore flexis genibus et fuis lacrimis ad pedes vestre provolvimur pietatis, humiliter obsecrantes ut ipsius angustiam et nostram⁷⁾ ita se gaudeant extendisse, qui nec Deum timent nec homines reverentur. Cum enim ego — archiepiscopus vel ex contingentibus omittens⁸⁾ — statim audito captionis sue rumore terribili nuntium meum cum litteris ad regem Anglie destinassem, ut eum datis pro eo obsidibus et recepta cautione sufficienti liberari permetteret a tam districte laqueo captionis, nec a nuntiis nostris eum videri permisit⁹⁾ nec petitioni nostre spei bone quippiam repromisit. Restat igitur, ut per excommunicationis in personam et interdicti memorati regis sententiam ipsum episcopum nobis et ecclesie Dei reddi districtius conpellatis¹⁰⁾.

Diese Bemühungen führten bekanntlich nicht zum Ziel, da die angebliche Friedfertigkeit des Bischofs keinen Glauben fand, wenn auch das Schreiben Cölestins an ihn (Jaffé cccxxi) eine Fiction ist.

Auf denselben Bischof Philipp von Beauvais (1175—1217)

1) reprofferi Hs. Vgl. Exod. 24, 14. 2) curretur Hs. 3) nobis Hs. Der Satz ist offenbar unvollständig. Der folgende Abschnitt ist theilweise wörtlich übereinstimmend mit dem ersten Schreiben. 4) presutas Hs. 5) viell. ist 'commissas' zu bessern. 6) nocet Hs. Viell. 'nec ut aliis noceret'. 7) nostrum Hs. Der ganze Satz ist unverständlich und offenbar nicht vollständig. 8) Augenscheinlich eine eingeschobene Anweisung des Concipienten. 9) permisisset Hs. 10) Hier ausgeschrieben; man müsste eigentlich überall 'con' und 'in' setzen, wenn die Gewohnheit dieses Schreibers als maassgebend zu betrachten wäre.